Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Oportet autem et testimonium habere ab his qui foris sunt. Quale principium, tale et clausula. Qui inreprehensibilis est, non solum a domesticis, sed et ab alienis consono ore laudatur. Alieni et extra ecclesiam sunt iudei, heretici, atque gentiles. Talis ergo sit pontifex Christi, ut qui religioni detrahunt, vite eius detrahere non audeant. At nunc plerosque cernimus, ut favorem populi in aurigarum modum precio redimere, ut tanto omnium hominum odio vivere, ut non extorqueant pecunia, quod numquam impetrant gestibus. Hec fili oceane sollicito timore perquirere. Hec magis ecclesie custodire debebant. Hos in sacerdotibus eligendis canones observare. Non iuxta propria odia, et privatas simultates, carpentemque semper auctorem suum invidiam, legem Christi interpretari. Vide quantum sit testimonium huius, quem arguunt mariti, cui preter vinculum coniugale, et hoc ante baptismum, nichil aliud ab emulis obici potest. Qui precepit non mechandum, ipse dixit, et non occides. Si non mechavimus, sed si occidimus, transgressores legis sumus. Qui totam legem servaverit, et offenderit in uno, fit omnium reus. Itaque cum opposuerit nobis uxorem ante baptismum, nos ab eis omnia que in baptismo sunt precepta requiramus. Pretereunt quod non licet, et obiciunt quod concessum est.

Ex ad riparium presbiterum contra uigilantium. xlviii.

Acceptis litteris tuis, primum non respondere superbie est, respondere temeritatis. De his enim rebus interrogas, quas proferre et audire sacrilegium est. Ais uigilantium qui kata antifrasin hoc uocatur nomine. Nam dormitantium rectius diceretur. os fetidum rursus aperire, et putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferre reliquias. Et nos qui eas suscipimus appellare cinerarios et ydolatras, qui mortuorum hominum ossa ueneremur. O infelicem hominem, et omni lacrimarum fonte plangendum, qui hoc dicens, non se intelligit esse samaritanum et iudeum, qui corpora mortuorum pro inmundis habent. Et uasa que in eadem domo fuerint, polluta suspicantur, sequentes occidentem litteram, et non spiritum uiuificantem. Nos autem non dico sanctorum martyrum reliquias, sed ne solem quidem et lunam, non angelos non archangelos, non seraphim, non cherubim, et omne nomen quod nominatur et in presenti seculo et in futuro colimus et ueneramur, ne seruiamus creature potius quam creatori, qui est benedictus in secula. Honoramus reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres adoremus. Honoramus seruos, ut honor seruorum redundet ad dominum qui ait: Qui uos suscipit, me suscipit. Ergo petri et pauli reliquie inmunde sunt? Ergo moysi corpusculum inmundum erit? quod iuxta hebraicam ueritatem ab ipso domino sepultum est. Et quotiescumque apostolorum et prophetarum et omnium martyrum basilicas ingredimur, ydolorum templa ueneramur? accensique ante tumulos eorum cerei ydolatrie insignia sunt? Plus aliquid dicam. Quid dicam? Quod redundet in auctoris caput, et insanum cerebrum, ut sanet aliquando ut doleat, ne in tantis sacrilegiis simplicium anime subuertantur. Ergo et domini corpus in sepulcro positum, inmundum fuit? Et angeli qui candidis uestibus ute-